

sit uter musto plenus absque spiraculo, quod Helia teste¹⁾ lagunculas novas dirumpit; ego tamen non loquar, nisi vestra paternitas jusserit, immo, ut superbe dicam, nisi rogando roga-verit.

Vorher geht noch auf fol. 80 eine der Sage vom Mönch Felix nahe verwandte Erzählung, fol. 97^a 'de Walthero monacho' und endlich fol. 99 eine Erzählung, die wieder etwas mehr historisches Interesse darbietet:

De quodam servulo capto in curia Eberacensium.

Cum gloriosissimus Romanorum imperator, H. scilicet sextus, princeps totius monarchie, ab hac luce emigrasset et diem extremum clausisset, magna turbatio et confusio est facta²⁾ in omni seculo, et maxime in Teutonico regno. Nam cum regem et judicem populus non haberet, unusquisque quid sibi justum et rectum videbatur, agebat. Unde non modica dissensio, immo totius ecclesie facta est immensa contentio et confusio, quia nec Deum nec hominem iniqui revere-bantur, sed unusquisque comprimere et opprimere satagebat. Major adversus minorem consurgebat et sua ei diripiebat atque in proprios usus redigebat. Et tanta facta est predatio, qualis ab initio mundi non fuit in christiano populo. Nam stratam publicam et viam regiam nullus secure incedere presumebat, eo quod nulli reverentia, nulli honor persone deferebatur, nisi qui se ipsum defendere poterat. Nam civitates regias, castella, vicos ac villas, insuper, quod adhuc amplius est, Christi eccle-sias depopulabant et cremabant et habitatores in captivitatem cum manubiis et preda multa abducebant, et quosdam com-pedibus innodabant.

Unde etiam mirabile quoddam et satis laudabile in oppido prope claustrum Eberacense ad honorem ejusdem monasterii et fratrum ejus accidit, quod dignum memorie esse tradendum duximus. Dum enim castellani de prefato oppido predandi et spoliandi causa ubique, sicut et ceteri, circumirent et discurre-
rent, diffamatus est eis quidam servulus in quadam grangiola Eberacensium, quasi multas haberet pecunias. Sine pecunia non erat, non tamen habebat tantum, quantum illi putabant, sed quantum in curia serviendo acquisierat. Venerunt ergo concito gradu et cursu velocissimo, et ipsum sine ulla misera-tione abstrahentes tanquam canes leporem, aut lupi ovem, et ad suum castrum cum magno tripudio deduxerunt, putantes se magnum thesaurum invenisse, non attendentes illud prophe-ticum: 'Ve qui congregat non sua!'³⁾ et illud: 'Ve qui pre-daris, nonne predaberis?'⁴⁾ Interim Eberacenses suam in-

1) Job. 32, 19. 2) Vgl. das mit ganz ähnlichen Klagen erfüllte Schreiben Philipps an den Papst vom Jahre 1206. Monum. Germ. Leg. II, 210. 3) Hab. 3, 6. 4) Isai. 33, 1.